



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago Vechiana**

**Cossart, Gabriel**

**Parisiis, 1656**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38516**




Th. 400a.


N V

22.










I M A G O  
VECHIANA  
ALEXANDRO VII.  
PONT. MAX.  
DEDICATA.



PARISIIS,  
EX OFFICINA CRAMOSIANA.  

---

c1o 10c lvi.



## ARGUMENTVM.

**P**ATER HORATIVVS VECHEIVS Societatis IESV  
Sacerdos, stirpe apud Senenses nobilissima oriundus,  
ALEXANDRI VII. Pont. Max. consanguineus, in Occi-  
dentalem Indiam pradicandi Euangelij caussa transmissus,  
Chilense regnum sortitus est, in quo incensam in Deum  
hominēsque caritatem exerceret. Hic post multa virtutum  
edita monimenta, in prouinciam Elicuram ad pacificandos  
rebelles populos, & propagandam Christianam religionem  
missus orator, cum sociis duobus P. Martino Aranda, &  
F. Iacobo Montalbano, eiusdem utroque Societatis, casus  
est, Anganamonis Reguli iussu, traductas ad Christi sa-  
cra, sibi que subductas aliquot pellices indignantis. Rei  
geste imaginem aeneà formà expressam S. D. N. ALE-  
XANDRO VII. Religiosi Societatis IESV hoc car-  
mine consecrant.





ALEXANDRO


Sanctissimae suae consanguineae HORATIVUM  
In Chilensi Americae regno cum sociis  
Devotissimi filii Re-  
Patri Sanctissimo



PAPAE VII.

VECHIVM Societatis Iesu Sacerdotem  
duobus odio Christiana fidei casum  
ligios Societatis Iesu  
Sanctum munus DD. MD. CC.

Historia  
Johann...





S. D. N.  
**ALEXANDRO VII.**  
I M A G O  
V E C H I A N A.



AXIME regnantum, qui terris om-  
nibus vnus,  
Qui regnis superùm, & regnis das  
iura profundis:  
Quamuis tergeminus supra fastigia  
rerum

Omnia surgat apex, decora & mortalia spernat:  
Non tamen indignum ( sit fas audere loquendo )  
Spernendúmve tibi munus; sanctúmque, tuúmque  
Heroem offerimus. Tuus est, quo tineta rubere  
Barbara tela vides; quique Indica consecrat arua  
Vechiadæ sanguis, tuus est: & fonte ab eodem

A ij

Chisiadùm in venas, per mille heroïca ductus  
Nomina, & Etruscæ fluxit decora inclita gentis:  
Senensésque auxit non vno numine Diuos.

Et nunc, credo equidem, sancto tibi pectore sanguis  
Emicat occurso cognati sanguinis, vltro  
Omnibus exultans, si fas erumpere, venis:  
Séque sui Vechî sociare cruoribus ardet.  
Indigetis Vechî, quem si, dum vita manebat,  
Sanguine digna tuo nunquam sacra purpura texit,  
Ipse sacro tinxit morientem murice sanguis.  
Vsq̄ adeo vestræ debetur purpura genti.

Sed generis decus amplum, & nil vulgare sonantes  
Seu Chisî titulos, seu Vechî nominis, olim  
Doctiùs expressos maior tibi sistet imago,  
Cunctos vna togæ ostentans ac Martis honores.  
Hæc mortale nihil, rebûsve affine caducis  
Exhibet, ac sensu vetat indulgere profano.  
Sacrum augustum, ingens, & sanctâ rite peractum  
Relligione vides: sacrum ne temne, Sacerdos,  
Neu sit Pontifici vilis, pretiosa Tonanti  
Quæ fuit, & magnis est addita victima Diuis:  
Cæde suâ felix, & honesto victima leto.

Vechius hoc fatum trans & maria omnia longè,  
Arentésque plagas Indorum, & inhospita regna,  
Quæsiit affectans: pulchræque ad mortis honorem  
Mille per obiectas voluit contendere mortes.  
Huc cursus fuit: hanc Brasilûm squalentibus agris,  
Sole

Sole sub ardenti, sitiebat Horatius vnam:  
 Hanc & Atlanteo in magno, dum turbida contra  
 Æquora, luctantésque atris Aquilonibus Austri  
 Tendebant, vnam mediis ardebat in vndis.  
 Cúmque notis iactata, & summo pendula fluctu  
 Iam cælum ratis & stellatos tangeret axes:  
 Exiliit, iam iamque tenere micantia visus  
 Limina, & optatos ardens irrupere portus,  
 Naufragio felix. At præcipitantia vota  
 Damnauit tamen: & non sic, ait, astra placetis:  
 Vos mihi per sæuas estis quærenda secures;  
 Iam deuota sacro sum victima. Deinde vbi rursus  
 Sideret in præceps fractæ mons spumeus vndæ;  
 Ferretúrque simul, manes ruere vsque sub imos  
 Visa ratis, totóque abscondi mersa profundo:  
 Palluit aspectu, atque ingloria fata refúgit  
 Vechius. At vel sic, inquit, sic victima fiam:  
 Quidve meâ refert, corpúsne immania cete,  
 Immanésne vorent Brasilj? si me meus antè  
 Non riget expurgétque cruor: tamen hostia Christo  
 Non immunda cadam, cum me maria omnibus vndis  
 Eluerint mersum, & lustrale piauerit æquor.

Ah quoties populísque tuis, America, tuísque  
 Moribus indignans, non es sat barbara, dixit,  
 Nec votis satis apta meis. Te scilicet vnam  
 Immitem ante alias, & funera multa minantem  
 Crediderat; fixásque cruces in limine primo

Finxerat ingeniosus amor: vixque Indica puppi  
 Litora contigerat, dudum ignorata carinis  
 Litora, & ignotum longè semota sub axem:  
 Cùm sibi deesse cruces questus, cœpítque morantes  
 Incusare neces, nimis & parcentia fata.

Impatiens aram quærebat victima; votis  
 Iam mactata suis. Tum sicubi acinacis Indus  
 Fulserat, auditæve procul sonuisse secures:  
 Me me, adsum, clamabat: & haud insueta triumphis  
 Arma, crucem tollens; Christũ nouus aduena, Christũ  
 Ibat in aduersos resonans: mox barbara Christum  
 Agmina certatim, peregrinæ murmure linguæ,  
 Quis credat? rudibúsque sonis iam victa, vocabant:  
 Non priùs auditum votis venerantia nomen,  
 Hospitis ante pedes. Quis tum tibi sensus, Horati?  
 Cùm tua te fraudans votis ac morte petitâ,  
 Iam positam ante oculos rapuit victoria palmam?  
 Nec lugere sinunt tot Christo parta trophæa;  
 Nec patitur gaudere tuo mora facta triumpho.  
 Quid facias? ambos magno sub pectore sensus  
 Conciliauit amor: victori gaudia Christo  
 Plena dedit, luctúsque sibi seruauit amaros.  
 Et fluxere tamen communibus vtraque riuis  
 Vechiadæ ex oculis. Lacrimas & sancta voluptas,  
 Et sanctus dolor elicuit; scatebrísque verenda  
 Ora super geminis ingentia flumina currunt.  
 Et cùm fonte sacro plangentes pectora turbas



Mergeret, hæc sacro miscebat flumina fonti:  
Diuinusque latex puris crescebat ab vndis.  
O vtinam, addebat, nostri vos sanguinis amne  
Fas foret eluere! At si nondum fata tulerunt  
Vt caderem, nec adhuc videor maturus olympo,  
Infelix: saltem pro me tibi victima, Christe,  
Multa datur melior. Fert hæc tibi sacra sacerdos,  
Victima qui fieri, sineret tua sancta voluntas,  
Maluit. Interea nostræ non vnica cædi  
Hostia proludat: mox ipse adiungar; & vltro  
Sanguineis reddar iampridem debitus aris.

His animis orbem alios, alioque calentes  
Sole plagas peragrans, noua victor & inuia longè  
Pandebat Christo spatia: exuiasque subactò  
De stygis imperio, post tempora longa receptas,  
Ibat grata ferens cælesti munera regi:  
Perpetuis operans sine cæde ac sanguine sacris.  
Donec sanguineis, totâ quæ mente petebat,  
Admotus sacris; siue hostia, siue sacerdos,  
Occubuit tandem, atque animâ meliore litauit.

Chilenses terræ, toto quas vltima mundo  
India disiungit, vos hic aspergine sacrâ  
Lustrauit cruor, & proprias sacrauit olympo.  
Tûque adeo nil iam decedis gentibus vllis,  
Crimine facta tuo felix Elicura; tibique  
Indignata licet, tellus tamen inuidet omnis:  
Inuidet, & quo tincta makes venerata cruorem

Vechiadæ ; facinus, quod detestatur, honorat :  
Téque ream cædis, clamátque hac cæde beatam.

Qui te autem, tellus tum barbara, cæcus agebat  
Incautam furor, & stimulis vrgebat iniquis ?

Ille tibi, post tot tenebris malè merfa profundis  
Sæcula, Diuini portabat luminis ignes :

Ille diu fessæ bellis, & pacis egenti,

Pacem ibat, fœdúsque ferens, orator Ibero

Ab duce delectus : sed nec sacra lumina ferre

Pandentem potuit, nec fœdera certa nouantem,

Impius Anganamon. Vxorum hic agmina secum

Longa trahens, thalamis aliquas fugisse relictis

Dum videt, & Christi meliora in iura vocatas :

Sæuit in auctorem, castóque à sanguine pœnas

Illustris facti furiosus sumit adulter.

En vt agit flammæ, toruáque in imagine sæuit

Ira superstes adhuc ; en implacabilis vltor

Ipse necem mandátque, oculísque immitibus haurit.

Nil agis his odiis : non hic tibi, barbære, sanguis

Funditur : hunc pacis vindex, tutórque pudoris,

Libat vtrique cadens, pridem deuotus vtrique

Vechiades ; & , cùm tua castus regna rigârit

Pacificúsque cruor, gressum pax ociùs istuc

Alma feret, ritúsque pudor damnabit auitos ;

Et sanctâ populus compositus lege quiescet.

En etiam pœnis non sufficis vnus, Horati :

At necis adiuncti comites, quos inclitus ardor

Confor-

Confortes operum tantorum, haud parua secutos  
 Addiderat: trans & pelagi spatia omnia vectos,  
 Egerat extremos terrarum quærere fines.

Hinc sæuo mucrone cadit transfixus Aranda,  
 Fidus Aranda comes, quo non præstantior alter,  
 Seu patrare animis seu ferre ingentia magnis;  
 Et gentes mulcere feras, Christique triumpho  
 Addere prodigiis & certo numine victas.

Inde afflictus humi traheris, clauâque trabali  
 Cervicem elisus, nec vulnere faucibus vno,  
 Montalbane, iaces; sacri qui muneris exfors  
 Parua ministeria, & tenuem contentus obibas  
 Vilibus officiis per mille pericula sortem.

Vnius ad tristes nutus cecidere tyranni  
 Tergemini heroes: fratrum simul edita cædes  
 Vna trium: inque vnum tres riui sanguinis amnem  
 Concordes coeunt, alueoque feruntur eodem.  
 Dux fuit ad cælum tamen; ingentemque, peremptus  
 Ante alios, animam fatibus illustribus egit  
 Fortis Vechiades: seu primum hunc tela petebant,  
 Seu magis ipse ruit nudatos primus in enses;  
 Expectansque necem dudum, exultansque repertâ.

Namque vbi carnificum voces, longèque sonantum  
 Audiit armorum strepitus, ac sæua minantum:  
 Obuius exiliit, mortisque ad signa propinquæ  
 Gestit applaudens. Æstiuus mensibus anni  
 Haud secus agricola exultat, cum rauca sonare

Murmura nimborum incipiunt : mox vnda sequetur  
 Scilicet, optatúsque satis sitientibus imber.  
 Et quamuis tecto sub paupere staret ad aram  
 Gramineam, tum sacra parans, ingentia sacra  
 Queis maetata Deum non impar victima placat:  
 Exiliit tamen impatiens, sacrísque relictis,  
 Ad sacra tot votis dudum exoptata volauit.  
 Nec iam, Christe, tuum patri libare cruorem,  
 Sed te ambit placare suo. Ruit obuius ille  
 Carnificum turbæ; ruit illi turba vicissim  
 Obuia carnificum, cædes optatur vtrimque;  
 Hanc quærit feruens amor, hanc odia aspera portant.  
 Et dubitent oculi, malítne haurire cruorem  
 Impia barbaries, an fundere malit eundem  
 Vechiadæ pietas, & amanti reddere Christo.  
 Ne plagis rimare viam furiose, locúmve  
 Sollicitè explora: patet ecce ad vulnera totus,  
 Hostibus & nudans obiectat pectora, telísque  
 Indefensa aperit: quæ sæuâ barbarus hastâ  
 Transadigit rumpens, animámque recessibus altis  
 Insequitur latitantem, & durâ cuspide pellit.  
 Vicius inest tabulæ sensus, spirántque virorum  
 Expressæ effigies. Cernis flammata necantum  
 Ora, trucésque oculos? cernis lætámque iacentis  
 Herois frontem, blanditáque lumina morti,  
 Et superis blandita vocantibus? vnus hærent  
 Ecce poli aspectu, & quamuis morientia languent,

Nituntur tamen, & promissa ad sidera tendunt:  
 Seu properantē animam supera ad conuexa sequuntur,  
 Seu magis anteuolant cunctātem, & ad æthera ducunt:  
 Designantque vias sese ad sua regna ferenti.

Nec satis est sæuis tortoribus vnica cædes,  
 Nec, Vechi, satis vna tibi. Noua destinat ecce  
 Vulnera trux alter; tēque in caput ense reducto  
 Mox feriet: sic tu maetabere sæpius idem,  
 Vnāque sufficies non vni victima sacro;  
 Et paci deuota eadem, & deuota pudori.

Nec desunt oculis fontes, castōue flagrantēs  
 Corde foci, votiua quibus se se hostia maet  
 Christo totam adolens. Sacro si visus abesse  
 Turis honos: supplent suspiria turis honorem  
 Ignea missa polo, superūm quæ templa vaporant,  
 Turea dona supra, fumōsque accepta Sabæos.

Hic etiam sacri vice turis, & ignis odori,  
 Fumat Vechiadæ sanguis, gratōsque vapores  
 Idem halans cælo mittit, vocēsque disertas.  
 Non quales fudit, primus qui cæde recentem  
 Tinxit humum sanguis, cum questibus æthera pulsans  
 Posceret vltices fraterno à sanguine pœnas.  
 Vocibus æternū resonans petit astra benignis  
 Pacificus Vechi cruor: assiduūque Tonantis  
 Ad solium orator, pro caris supplicat Indis.  
 Hoc pius officium sæua pro morte rependit.

Nunquam deinde cruor tacuit facundus: at Indos

Vsque docet resonans, & iter designat olympo,  
 Perpetuisque operans, etiam post funera, sacris  
 Solennes iterat voces; procul este profani,  
 Este procul, clamans, nostraque absistite terrâ.  
 Irrita nec clamat. Fugiunt sensusque profani,  
 Sacrilegique patrum ritus, dum cedere virtus  
 Sanguinis imperiosa iubet: tandemque Chilensi  
 Incipit & pietas, & pax assuescere cælo.

O pietas! ô pax! hæc Indis munera quondam  
 Inclite CHISIADÆ, patrum Optime, Maxime regum,  
 Sanguine parta tuo: populis hæc omnibus idem  
 Ferre parat sanguis, cæloque accire laborat  
 Optatam Europæ, post tot bella aspera, pacem.  
 Pax tibi solus amor. Pacem, seu publica curas,  
 Regnorum inuigilans fatis, seu sancta labori  
 Otia succedunt, pacem meditaris; & vnam  
 Voce vocas, votisque & curis omnibus vnam.

Quàm sæpe, incenso latebras dum quæris amori,  
 Interiore domo, tua te suspiria produnt,  
 Ædibus in sanctis vnam resonantia pacem!  
 Auditæque alto de pectore rumpere voces:  
 O pax! ô bona pax! si te nisi sanguine fuso  
 Exorare nefas: nostro tibi sponte litamus.  
 Vulnera cur desunt votis? ô funere felix  
 Vechiades noster, cecidit qui victima paci!  
 I cruor, i venis cruor omnibus, atque nefandas  
 Bellorum restingue faces. His pacis amator

Feruidus

Feruidus indulges votis, vrgésque morantem.

Quòd si te seruant populis, parcúntque cruori  
 Fata tuo, nec emi poscunt alma otia tanti;  
 Si satis est, venis haustum morientis Horatî  
 Iam paci fluxisse semel: pro sanguine iuges  
 Das paci lacrimas: placidus nec desinit imber,  
 Fulmineósque inter strepitus, intérque furentum  
 Murmura bellorum, & tristes manare procellas.

Ac veluti cæli in medio, Boreæque Notique  
 Prælia cùm miscent, euertúntque omnia latè  
 Frenari indociles: ruerit si nubibus imber  
 Largior, incipiunt positis mansuescere bellis  
 Discordes ventorum animæ, pluuiique fugantur  
 Aspectu Iouis, & toto procul æthere cedunt.  
 Haud aliter lacrimísque tuis compressa residet  
 Bellantum rabies populorum, ac læta serena  
 Restitues terris. Et iam mitescere regna  
 Vocibus obsequiosa tuis, inflexáque corda  
 Regnantum aspicio, sanctæque fauentia paci.  
 Tu modò dic leges, & fœderis vnicus esto  
 Arbiter æterni. Terras tremefecerit armis  
 Sæuus Alexander: Tu nomine clarus eodem,  
 Clarior & pacis titulis dicere; decúsque  
 Maius erit, fesso bellis succurrere mundo.

Et memor orbis erit: tibique immortalia gentes  
 Pacatæ decora, & sæclis visenda futuris,  
 Marmoreos arcus centeno fornice tollent:

PACIFICOQUE alacres inscribent marmora PATRI.  
 Has tibi Relligio moles, has Gloria tollet  
 Omnibus in terris; nec erit plaga nominis expers  
 Vlla tui: seu sancta rigans vbi moenia Tiberis  
 Lene fluit, seu quâ tranquillo Sequana manat  
 Flumine, seu præceps tumido quâ currit Iberus.

Nec tibi non tollat monumenta perennia Rhenus,  
 Aut generosa tuo Germania desit honori:  
 Illa tibi (fors hæc tot clades vna leuabat)  
 Nota diu, suauisque; diu virtutibus hospes  
 Consecrata tuis: cum pacis maximus auctor,  
 Inter tot proceres omni de gente profectos  
 Confidens medius, venerabile nutibus vnis  
 Concilium regeres; iam tum caput agnitus orbis,  
 Pacificus iam tum, crudeliâque arma perosus.

Hæc tibi pacis erant inter tot bella parandæ  
 Prima rudimenta, & magni parua orsa laboris.  
 Suafor eras pacis, nunc arbiter. Ecce Quirini  
 Augustum ad collem conuersus respicit orbis,  
 Quæ sibi fata pares. Iam cæli limine primo  
 Aurea pax, roseâ, Petri quâ culmina surgunt,  
 Nube latens, sedet. Huc illam tua vota vocarunt.  
 Perge modò: en celeres primis iam nisibus alas  
 Commouet, exhortans sese; tentâtque volatum,  
 Iam desueta diu. Nihil est, quod deinde moretur:  
 Exspectâtque tuos lapsura ex æthere nutus.

Tunc vatium egregij cantus Helicone profano



Cessabunt omnes: te sanctis montibus vnum  
 Et voces & pleetra canent: pacisque parentem  
 Progenies pacis tollent ad sidera Musæ.  
 Dulcis amor Musæ tuus, & melioribus annis  
 Deliciæ, cum te paulum subducere curis  
 Fas erat, & grandi IUVENILIA ludere versu:  
 Nec commissus adhuc inuiderat otia Mundus.


Accedent aliæ votis communibus artes:  
 Pacificis omnes studiis; tibi pacis amanti  
 Caræ omnes: quarum ingenio vicisse magistros  
 Diceris, Ausonios inter doctissimus vnus,  
 Et tabulis pretium, & spiranti ponere saxo.  
 Certabunt ærique color, marmorque colori:  
 Omniaque in vultus artis miracula cernam  
 Ire tuos. Vincet radio Possinus Apellem,  
 Praxitelem cælo Berninus, & omnibus ora  
 Hic tua pigmentis imitabitur; ille metallis.

Nulla tibi ramis non cincta virentis oliuæ  
 Effigies surget: cunctas & ciuica quercus,  
 Et vatum vnus honos laurus Parnassia cinget:  
 Tolleturque triplex triplici de frondè tiara.  
 Et tibi tot florere oleas pax alma iubebit,  
 Quot palmas atavis heroibus aspera Mauors  
 Inter bella dedit. vestræ viret vtraque genti  
 Arbor, & æternos vestro dat munere fructus.

Tot terrarum inter studia, & molimina tanta  
 Certantum officiis populorum, operumque labores

Immensos, tenuis non dedignabere musæ  
 Obsequia, & nostros exilia munera cantus.  
 Namque tuæ pars laudis erunt venientibus annis  
 Hi quoque, seque humiles donis maioribus addent.  
 Et facient animos etiam tua carmina nostris.  
 Illa quidem nostros tantum superantia nisus,  
 Quantum Phocaicas Heliconis culmina valles:  
 Sed tamen incendunt vatum genus omne, tuisque  
 Responsum modis, quanquam inferiore camœnâ,  
 Ambitionis erit: tu dux eris vnus, & vnus  
 Materies; Musisque resolues omnibus ora.  
 Ut cum vere nouo siluæ regina sonantis  
 Præcinuit philomela, stupet nemus omne, chorusque;  
 Doctarum alituum, nec posse æquare fatentur.  
 Excitat vna omnes tamen, argutosque superba  
 Prouocat ad cantus: præeuntem sponte secutæ  
 Certatim modulantur aues, carmenque magistræ  
 Aut ardent imitari, aut non imitabile laudant.  
 Prima tibi pendunt hæc vectigalia nostræ  
 Pierides, tenuisque canunt præludia versu:  
 Dicturæ maiora, & tot tua nomina linguis  
 Missuræ in populos, quot latè in dissita regna  
 Spargimur Ignatî soboles, insignis I E S V  
 Nomine, per terras iurata vndasque per omnes  
 Ire, redire tuo, mortisque laceffere, nutu.  
 Hanc tibi deuotâ pridem, & complexus amantem es,  
 Fouisti que sinu, caræ tibi gentis I E S V

Antè pater , quàm te dixisset terra parentem.  
 Nunc quoque terrarum quamuis moderaris habenas  
 Summa tenens , supplèxque tibi summittitur orbis :  
 Non tamen ex illo despectos culmine rerum  
 Negligis , aut patrij cessas oblitus amoris.  
 Sed pius vsque faues ; intèrque negotia Mundi,  
 Nostra tamen curas. Quòd si persolvere grates  
 Haud opis est nostræ , meritis ingentibus æquas :  
 At non fortè tibi spretas nostrèrque , tuúsque  
 Vechiades , vnus cunctorum nomine reddit,  
 Nostrorum interpres studiorum , & idoneus obses.  
 Hunc adeo , magnâ non cassum laude , tibíve  
 Indecorem , parua quamuis in imagine , cernis.  
 Et sit parua licèt , tantùm annue , Mundus adorat.




*Collegio Societatis Jesu Paderb. 1683 dono p. J. J. Kappenberg*

Anci p...  
Nunc quod...  
Summ...  
Non tam...  
Neglig...  
Sed p...  
Nostri...  
Hic op...  
At non...  
T...  
Nostri...  
Hunc...  
In hoc...



Faint handwritten text at the bottom of the page.



N  
T


Historia  
12



Historia  
T. 1.

Historia  
T. 2.






Historia  
T. I.

Historia  
T. II.






Handwritten text, possibly a page number or title, located near the top left corner of the page.

Handwritten text, possibly a title or section heading, located in the upper left quadrant of the page.







Th  
400 a

P  
N del  
Techo

Historia  
Paraguana  
SV  
6

